

cio effectorum seu accidentium, quorum ductu vi demonstrationis accidentalis, quam à posteriori cognominant Logici, vel ab effectu, in principiorum constituentium notitiam peruenit. An solius rationis acri cōmentatione? Certè nî tentârit, ea principia, quæ ingenij acumine, sensu adminiculante peruidet, eo quo coiêre modo, inuicem dispescere, & qualia sint singula. eo pacto diuulsa, attentiùs contemplari: habebit quidem notitiam, veræ scientiæ æmulam: at reuera non eam, quæ scientem reddat ἀμετάπτωτον: quam tamen vnicè requirebat Aristoteles. Ut exemplo res clarior euadat, non dubitandum est, lapidum primordia elementorum deberi quaternario, quòd terram arguat solida substantia, gravis pondere: aquam eiusdem cohærentia, sine humorum glutine in cineres resoluenda: aërem & ignem contrariorum lex. Cùm enim actio omnis per contraria fiat, priora duo depositis summarum qualitatum viribus, ad aliquam moderationem, non nisi reliquorum præsentia redigi debebunt, & ita per mutu-

*a. poster.
Anab. c. 1.*